



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quando suspendatur per appellationem cendura sub conditione
lata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

terlocutoria, aut gravamine ante definitivam appellavit aliquis, si citet ad terminum certum appellansem ad audientiam revocationem gravaminis, si quidem eam faciendam existimet, quod fieri posse ex dictis jam patet, & ille qui appellavit in termino præfixo non compareat, Iudex tamen gravamen re ipsa, & actu revocet, liberè in causa, non obstante appellatione factâ, procedere contra absentem etiam tanquam contra contumacem *c. Si à Iudice 10. h. r. in 6.* quia cessante gravamine, propter quod appellatum, & per revocationem jam cessat, cessat etiam effectus, appellatio scilicet, & consequenter totam suam jurisdictionem habet Iudex à quo.

Quartò potest Iudex à quo eum, quem ob contumaciam v. g. suam excommunicavit, non obstante, quòd ad Papam, aut alium Superiorem hic appellaverit, ab excommunicatione absolvere, (si absolutionem hanc ab ipso petat, qui appellavit, & sufficientem cautionem adversæ parti præstet) quamvis adversarius contradicat, & appellet etiam *c. Quà fronte 25. h. r.* tum quòd per hanc absolutionem non impeditur cursus appellationis, tum quòd sic animæ excommunicati consulatur, & simul per cautionem præstitam parti adversæ. Vide plura de his apud *Ant. Mech.*

§. III.

An, & quando suspendatur per appellationem censura sub conditione laia?

Si appellet, qui sub conditione censurâ affectus est, ante eventum conditionis, suspenditur in tali casu per appellationem interpositam sententia censuræ,

ita ut non contrahatur, etiam si conditio non servetur. *c. Præterea 40. h. r.* neque enim censuram quis incurtere potest, nisi obligetur ad id, quod sub censura illi præceptum est exequendum, sed post appellationem legitimè interpositam non obligatur quis præcepto aut sententiâ Iudicis, ergo etiam si conditio non servetur, cuius nulla est post appellationem legitimam obligatio, non incurrit censuram: potest autem à sententia censuræ sub conditione laie appellari, etiam post elapsos decem dies, dummodo conditio adhuc pendens sit, & nondum impleta; quia qui talia sub conditione censuræ incurrendæ præcipit, continuò censetur gravare, dum conditio eveniat, ergo continuò contra talem appellari potest: incurrit tamen hic censuram, cui sub conditione censuræ incurrendæ sub conditione præceptum, aut prohibitum est aliquid, etiam si pendente conditione mutaverit forum & domicilium, si non appellaverit *juxta Gloss. in cit. c. Præterea*, etsi censura talis feratur per modum sententiæ judicialis ob factum præteritum, & commissum tempore prioris domicilii v. g. subjectionis, &c. quia per talem sententiâ à Iudice prioris domicilii in ea causa præventus fuit.

§. IV.

De effectu appellationis devolutive.

Quòd per appellationem causa principalis, super qua appellatum est, devolvatur ad Iudicem ad quem, ita ut hic Iudex non tantum de justitia appellationis cognoscere possit, sed causam etiam principalem judicare, & decidere possit, ac debeat ex *c. Ut debitis 59. h. r.*